



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Leonard. Marinus Ar. Albanus 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

aures infuderunt, effusam diuini iudicis iram experti ad inferiora, seu inferna Tartari non deturbentur. Non enim ignoranter peccant, qui cum bene norint, & coram nobis quem protulimus sensum amplexi sint, & citra quaestionem esse ingenuè professi sint, eundem pro concione dilacerant, & nobis inuitis, & inauditis alienam famam, sed propria infamia, discerpere contumeliosi ac prorsus falsi contendunt. *Hæc ille apud Euseb. Tom. 3. vir. Illustr. Soc. fol. 219. in vit. P. Ioan. Ramirez §. 5.*

*Epistola
Nuncij
Apost. con-
solantis
Societatem
in vexa-
tione Gra-
natensi.*

4. A LEONARDO MARINO, tum Episcopo Abbæ, dein Archiepiscopo Lanciani, Nuncioque Apostolico ad Hispaniarum Regem, ex Sacro Prædicatorum Ordine, qui ad consolandos socios in vexatione relata, sequentem ad Borgia[m] Epistolam dedit: Multum (inquit) doloris attulit mihi res Granatensis, non Confessarij Societatis causa. Is enim quod Deo debebat, præstitit, vt remedium tot Sacrilegijs afferretur: neque aliter agere poterat, cum ea sit Dei ipsius regula, quæ nequaquam, vt aduersarij calumniantur, auocat homines à confessione, sed ad eam aduocat. Non enim recta est via aduocandi ad Sacramenta, si patiaris, aut dissimules, vt peccata, & Sacrilegia per ipsa Sacramenta committantur; sed si coneris, vt per administrationem rerum à Deo sanctarum à peccatis Christiani liberentur, & iustitiam, sanctitatem, gratiam Dei consequantur. Quod mihi dolorem attulit inconsiderantia fuit concionatorum, qui quod laudare, ac fouere debuerant, id deformare, & opprimere maluerunt. Ceterum, Pater, memineris nunquam

*Matth. 13
25.*

Dæmonem in Ecclesia non seminasse Zizania, vt inter se ipsos Christi sectatores committeret, idque non per manifestam impietatem conatum, sed zeli obtentu, & simulatione pietatis. Quemadmodum in præsentia zeli specie moueri videntur Christiani quidam, Religiosique professi ad Societatis tranquillitatem turbendam. Quod mea quidem sententia nihil est aliud, quam opponere se præsidijs, quæ in hæc tam periculosa tempora comparauit Deus Ecclesiæ suæ. Iste

vero

vero aduersantium zelus, haud quaquam zelus est Domini, sed admodum carnalis: cui quantumuis personam spiritus velint imponere, reuera zelus est contentionis, non quarens quæ Dei sunt, sed quæ per Societatis existimationem detrahi putant sibi. Itaque & hîc locum habet, quod dixit Aposto-
 lus: cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis? 1. Cor. 3. 3.
 & secundum hominem ambulatis? Nunquid diuisus est Christus? Cor. 3. Quid est Paulus, quid Apollo! quid Dominicus sanctus, quid sanctus Franciscus? Nonne ministri Dei sunt, cuius & ipsa Societas est? Proinde absistant dissidium facere inter Societates, Sodalitatesque vnius & eiusdem Domini. Recordentur quod dixit Dominus Apostolis, qui prohibebant alios dæmonia eiicere in nomine IESV, Qui non est aduersum vos pro vobis est. Mar. 9. & illud Apostoli: siue 39. per occasionem, siue per bonam voluntatem, Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Ad Phil. 1. 18. Philip. 1. siue 1. 18. beat & inconsulta Iolue æmulatio pro Moysè, cum monuit eum, vt duos illos prophetare in castris prohiberet. Cui Moy-
 ses dixit: Quid æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum? Num. 11. 29. Num. 11. Si bene Sanctorum in Schola horum Magistrorum didicissent, scirent profecto Societatem foueri debere: eique fouendo obsequium præstari Deo. Ceterum nolo hæc viros Societatis commoueat: nolo quidquam eorum intepescat ardor. Sustinuit semper Ecclesia, electique eius hoc bellum, non à Tyrannis modo, & confessis Christianæ religionis hostibus, sed ab ijs quoque, qui sanctitatem profitebantur. Proinde teneant locum suum, neque hæc exagitatio, quamuis ab hominibus Religiosis orta videatur, perturbet. Plura dicerem, si per otium liceret. Quanquam scio à Deo exercitatis hominibus nihil esse opus exhortatione mea. Dominus noster in gratia sua te conseruet. Oliuarij V. Kalendas Iunij anno Domini 1558. seruus R. V. & filius Episcopus Marinus Nuncius. *Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. n. 133.*